

guia reservat qui leviora peccata confitetur, graviora tacet. Non difficile credi potest, quod scribit Poggius in facetiis, de pastore Neapolitano, qui suo confessario pro gravi delicto confessus est, se dum premeret caseum in die jejunii, exilientes in os guttas aliquot lactis sorbuisse contra legem jejunii. Rogatus, an cum aliis pastoribus nullum viatorem spoliasset aut peremisset: is nihil moratus, sæpius id quidem se fecisse ait, sed pro re grandi non habuisse; quod id loci consuetum esset. Dic ergo mi confitens: Non sum Elias; non sic instituum meam confessionem.

III. Videntur aliqui asserere, se esse Christum, quod in prima interrogatione negavit de se Joannes: *Non sum ego Christus*. Quinam vero illi, qui se Christum dicunt in confessione? Primo qui se omnia ad salutem sibi necessaria scire existimant, ideoque confessarium cordis sui arcana rimantem ægre ferunt, Christus quidem is fuit, qui omnia scivit, adeoque frustra interrogabatur, quasi de re, quam nesciret. Unde Joan. X VI. dicunt discipuli: *Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget*. Similiter et Pharisæi cum non possent respondere ei: *Non ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*, Matth. XXII. At quis præter Christum talis, qui non possit doceri, quod nesciat? Prudentes confessarii non rimantur conscientias confitentium, dum vident eas sibi bene constare et officium facere. At cum vident eos vel præ verecundia aut cæcitate, vel defectu examini præmissi et cognitionis sui, hære in salebris, solent ac tenentur eos juvare. Sic Christus Dominus adfuit discipulis laborantibus in remigando, Marc. VI. Eodem modo Petrus, et qui cum eo erant, cum trahere non possent rete præ multitudine piscium, annuerunt sociis, ut manum auxiliarem porrigerent, Luc. V. Hos imitantur, qui sapiunt, confitentes, rogant enim confessarios suos, ut juvent laborantes in extrahendo reti suorum peccatorem, vel sponte succurrentes grato animo accipiunt. Quis enim auriga in luto hærens non gaudeat, si quis ejus equis suos adjungat, ut extrahere currum queat, et via sua pergere?

Secundo, qui omnino innocentes et impollutos se insinuant, dum nulla in re accusant, quasi nihil deliquerint; Christo ergo similes esse volunt, de quo Apostolus ad Hebr. VII. ait: *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus*. Tales esse se videntur tacite asserere, qui licet a multo tempore non sint confessi, nullam tamen adferunt sui accusationem, quasi nihil unquam deliquerint. Christus igitur erunt, sancti, innocentes, im-

polluti, segregati ab omnibus peccatoribus, et cælo excelsiores. Sed timendum ne hi verius pseudochristi sint et mentiantur, non homini confessario, sed Deo. Scimus Ananiam et Saphiram subita morte punitos, quod mentiti essent coram Petro, se nihil defraudasse, Actor. V. Nec raro evenit, ut graviter etiam punirentur, qui in confessione innocentes se asseruerunt, cum essent rei: vel etiam reticuerunt solum peccata sua. Religiosus quidam Fridericus Amalphitanus dum confiteri culpas suas in agritudine erubuit, corpus Dominicum sæpius sibi oblatum, sumere non potuit, donec fratrum hortatu tandem abbati se qualis erat, ostendit; ut habetur in vita Petr. abbatis Cavensis, apud Sur. IV. Martii, aliud simile recenset Pet. Ven. abbas Cluniacensis, libro primo illustrium mirac. c. III. de quodam juvene Teutonico, qui cum insania turpis amoris erga quamdam feminam laboraret, in extremis constitutus, cætera quidem peccata confessus est, illius tamen fœdi amoris reum se negavit, dicens: « Sic hoc Domini corpus, quod attulisti ad salutem suscipere merear, sicut hujus rei, quæ mihi objicitur, aliquando culpam non incurri. » Hac presbyter responsione credulus redditus, Dominicam ei communionem jam securus tradidit. Qua ore suscepta, glutienti virtus ægro protinus ablata est. Nam cum paulo ante quibuslibet etiam grossioribus cibis facilis esset ad ima descensus, hoc parvissimum corporis Christi fragmen, non dicam stomachum, sed nec etiam guttur vel paululum attingere potuit. Hoc sentiens ille, niti quantum potuit, cœpit, ut illud glutire valeret. Quod dum multoties conaretur, et frustrari semper suos conatus cerneret, coactus ipsa glutienti impotentia juxta lectum quo decumbebat, illud expuendo projecit. Cujus rei eventu valde territus, presbyterum, qui discesserat, ad se revocari rogavit. Rediit ergo presbyter et infirmum revisens, cur se revocasset, quæsivit. At spiritu Dei compunctus, confessus est se male egisse, sed Deo mentitum fuisse, verumque quod antea negaverat esse. Quem cum multo gemitu pœnitentem et satisficientem, is quid advenerat, presbyter intuens, compassus confitenti, et mœrore confecto, eum ut moris est, absolvit, atque rursum Dominico corpore refecit. Quo suscepto cum tanta illud libertate glutivit, ut vere tunc appareret, non casu, sed virtute divina, ne ante hoc suscipere posset, prohibitum fuisse. Post hanc igitur reatus confessionem, et corporis Christi perceptionem paululum supervivens in pace quievit. Hoc non a duobus aut tribus testibus tantum didici, sed a priore jam dicti loci, honesto et fide digno viro, et fratribus ejusdem monasterii ac multis

aliis, quorum quidam se hoc vidisse, alii a presbytero se audisse testati sunt. » Dic ergo mi confitens, *Non sum ego Christus*, non sum sanctus, innocens et impollutus non sum, non sum. Sed quid tandem respondebimus nostris confessariis, si nec propheta, nec Elias, nec Christus sumus? Respondeamus, quod dixit. Quid ille dixit? *Ego vox clamantis*. Sed quid clamandum? Illud Davidis. II. Reg. ultimus: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi*. Non committamus ut ipsum veneni antidotum fiat nobis venenum, pœnitentia peccatum. *Debemus cavere*, ait S. Ambros. lib. I. de pœnitentia, c. XVII. *ne remedium nostrum fiat diaboli triumphus*. Et lib. II. cap. XI, *Ne ipsa pœnitentia fiat, quod postea indiget pœnitentia*. De cicuta herba venenosa scribit Plinius lib. XXI. cap. XIII. *Cicuta venenum est, publica Atheniensium pœna infusa*. (quia enim propinare damnatis ad mortem solebant.) *Remedio autem est, priusquam perveniatur ad vitalia, vini natura excalearia, sed in vino pota irremediabilis est*. Est quidem confessio præclarum remedium pellendis peccatis in cor admissis, at si ipsi confessioni peccatum admisceatur, quis medebitur huic malo? Nemo igitur nostrum mentiantur, et affingat sibi personam alienam: nemo se prophetam, nemo Eliam, multo minus Christum asserere præsumat, sed potius cum Joanne non sum, non sum talis, et cum Davide, *peccavi*, dicat, et sincere se accuset, ut a Christo non solum excusari, sed et laudari mereatur.

CONCIO V.

VARIE PŒNITENTIE VARIIS DEFECTIONIBUS OBNOXIE.

Quid sit dirigere viam Domini. — I. Paratur via devia et erronea ab hæreticis. — II. Via voraginoso ab iis quos pœnitent non peccasse. — III. Nimis angusta ab iis, qui non dolent de peccato, velut summo malo. — IV. Ab aliis nimis profunda, qui naturali solum pœnitentia ducuntur. — V. Ab aliis subdola et fallax, qui fiete pœnitent. — VI. Ab aliis scrupulosa, qui in desperationem cadunt.

THEMA.

Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Joan. I.

Obscurum nonnihil apparet hoc Joannis responsum: *Dirigite viam Domini*. Quærere enim posset aliquis, quorsum, et qua ratione dirigenda est via Domini? Quare ne cui daret errandi occasionem ad Isaiam nos ablegat: *Sicut dixit Isaias propheta*. Quid vero Isaias? *Parate viam Domini*, inquit, *rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Pro parate in Hebr. est *pannu*; quod sententiam declarat, significat enim primo; *date faciem*, h. e. speciem viæ

Domini, q. d. curate ne quid habeat sordium, inæqualitatis, asperitatis, aut indecentiæ hæc via: sed ut nitida et speciosa sit. Significat deinde ad angulum et perpendicularum dirigite hanc viam, æquate et complanate; prout subdit Isaias: *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Denique exponitur ab aliis: *Expurgate viam Domini*, et ab oculis amovete, quidquid in ea indecorum est. Quæ omnia tandem eo collimant, idque inculcant, quod Joannes primum Matth. III. deinde etiam Christus initio prædicationis suæ mundo proposuerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. IV. Verum quemadmodum viæ et semitæ variæ admodum sunt, et variæ parantur: ita etiam pœnitentia varia deprehenditur in variis hominibus, et multoties non inutilis solum, sed etiam damnosa et exitiosa, id quod nunc explicabimus.

I. Parant aliqui viam Domini, sed deviam et erroneam a cælo abducentem; suntque hæretici nostri temporis, qui pœnitentiam aliam non requirunt, præter inchoationem novæ vitæ: absque omni detestatione prioris, seu peccatorum admissorum. Seducit via hæc, nec Domino paratur.

Primo, quia rationi contraria. Cum enim nova institui vita debet, nisi quia prior mala fuit? Et cur nova placet, nisi quia prior displicuerit? Quis potest novum induere hominem, nisi prius veterem exuerit? Quis Christum introducere in domum suam, nisi dæmonem expulerit et oderit, priorem sui incolam? *Quæ enim societas luci ad tenebras?* II. Corinth. VI. Nec potest quis duobus contrariis dominis servire: sed necesse est, si unum amet, alterum odio habeat. Deinde jus naturale apud omnes etiam barbaras nationes hoc exigit, ut facti nostri nos pœniteat, si in ejus, quem offendimus, redire velimus gratiam: neque reconciliari cuiquam possumus, nisi offensa, quam et intulimus, nobis displiceat. Qua igitur fronte aliquis Dei gratiam ambiat, quo pudore ad eum reverti postulet; si non prius acerbum et amarum ei sit, reliquisse Deum suum? Ipsi extitisse perfidum et ingratum? Unde S. Augustin. lib. de pœnitentia ait: *Nemo potest novam vitam inchoare, nisi eum superioris vitæ pœniteat*.

Secundo, quia contraria S. Scripturæ, quæ passim dolorem de præteritis peccatis eorumque detestationem requirit, uti Isa. XXXVIII. in pœnitentiam Ezechie: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Jerem. II. *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum*. Ezech. VI. *Displicebunt sibi met super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis*. Jælis cap. II. *Convertimini ad me in jejuniis et fletu, et*

placuit, et scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum. Psalmo etiam L. dicitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, etc.* Denique ut alia præteream, clare Apostolus II. Cor. VII. ait: *Gaudeo quia contristati estis ad penitentiam, cujus penitentia miros subdit effectus.* Idem clarissime docent Patres, e quibus unum audiamus Tertullianum antiquissimum lib. de penitentia c. IX. « Exomologesis est prosternendi et humiliandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiae illicem: de ipso quoque habitu et victu mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moribus dejicere: illa, quæ peccavit, tristitia mutare, etc. ingemiscere et lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum, etc.

II. Aliqui inveniuntur, qui non Domino, sed diabolo potius parant viam sua penitentia, viam voraginibus plenam; quos penitet non peccasse. Hujusmodi fuit Gabrinus Fundulus Cremonensium tyrannus a Philippo Mediolanensium vicecomite astu captus, productusque in forum Mediolani capite plectendus, cum ad penitentiam malefactorum admoneretur, hoc unum se dolore dixit, quod Joannem XXIII. pontificem et Sigismundum imperatorem hospitiis exceptos, ad immortalem suam famam, e sua turri altissima non præcipitarit. Jovius in Philippo, et Fulgositus libro IX. cap. XI. Paulo modestiores Prignissæ milites, latrocinii nobiles, qui propterea se penitere dicebant, quod mari congelato, occasionem neglexissent excurrendi Magnopoli in Daniam, ad rapienda et ambigenda illinc pecora, Cranzius lib. V. Saxon. cap. X. Hujusmodi penitentes sæpe sunt avari, iracundi et vindictæ cupidi, qui penitentia jucuntur quod mala non fecerint: digna inferno penitentia: qualem etiam demones agunt, quod non plura et graviora, quemadmodum cupiunt damna humano generi inferre a Deo permittantur.

III. Parant alii viam Domino, sed nimis arctam: quales illi imprimis, qui non dolent magis appetitive, non intensive, de peccatis admissis quam de aliis malis admissis vel acceptis damnis; quorum penitentia non sufficit ad delenda peccata, non enim agnoscunt peccatum esse malum omnium maximum super omnia mala, nec diligunt Deum, quem offenderunt super omnia, neque videntur agnoscere ipsum esse summum bonum. Debent ergo penitentes magis detestari peccata sua, quam ulla alia mala saltem appetitive, ut nullum malum iis præ se ferant aut æquent; adeoque nec totum mundum velent accipere ea conditione, ut Deum offenderent.

Deinde minus latam parant viam, qui de aliquibus tantum peccatis lethalibus, non de omnibus dolent, saltem in generali; sed ad unum vel alterum retinent adhuc affectum et complacentiam. Tales enim non dolent, quia Deum offenderunt, summum bonum, alioquin non de uno vel altero tantum, sed de omnibus dolerent, cum omnibus eum offenderint, sed ob alias rationes; quod non sufficit ad penitentiam. Quin etiam si displicerent omnia admissa peccata, quatenus Dei offensa sunt; non displicerent tamen ipsi actus, qui offensa fuerunt sed ob aliquem effectum bonum vel acceptum placerent, non sufficeret hic dolor ad consequendam gratiam, verbi gratia: si quis fornicator doleret, quod offenderet Deum, sed gauderet aut placeret sibi ob perceptam illicitam voluptatem, vel deceptam nobilem virginem, vel ob natum sibi ex fornicatione filium; aut si quis homicida doleret se offenderet Deum, gauderet tamen, quod inimicum suum homicidio illo sustulisset: illud hinc et non penitens foret, qui non doleret se offenderet Deum, sed nollet Deum talem statuisse legem, ut illis suis iniquitatibus offenderetur; alioquin displiceret ei etiam actus, quo Deum offendit. Unde S. Augustinus serm. VII. de tempore ait: *Penitentiam certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei. Quando sic penitet, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente: jam tunc bene ingemiscis ad Deum, et dicis: Tibi soli peccavi.*

IV. Parant alii viam nimis profundam, qui penitentia solum naturali ducuntur, dolentes, verbi gratia, quia per peccata sua incurrerunt infamiam, vel penas legibus debitas, vel alia damna temporalia, quorum penitentia humi repit, et mere naturalis est, et invenitur etiam in pessimis hominibus peccatis adhuc usque ad aures inhærentibus. Imo etiam illi, qui supernaturali quidem dolore penitentes, sed imperfecte (qui attritio vocatur) præcise qui a cælo exciderunt, vel gehennæ reos se fecerunt, humi adhuc repunt, unde nec adventum gratiæ expectant, nisi sacramentum accedat, quia amore potius sui quam Dei offensi damnum: velut si quis dolere, quod alterum transfigendo seipsum interim graviter læsisset aut cruentasset: vel qui doleret ideo, quod dum incendit alterius domum, ignis etiam propriam domum invasisset, qui profecto se, non proximum, cui damnum intulit, diligere convincitur. Multi hic se decipiunt, qui se penitentiam agere, eaque ad cælum evolare putant, cum adhuc in profundo hæreant. Talis fuit Saul, qui increpatur a Samuele propter inobedientiam, dixit quidem,

Peccavi; sed ne vilis haberetur, et e regno excideret, ut explicat verbis illis: Sed nunc honora me coram senioribus populi mei et coram Israel, I. Regum XV. Simili dolore afficiebatur rex Antiochus, qui dolebat memor malorum, quæ fecerat in Jerusalem, quia ideo putabat inflictum sibi morbum, et instare mortem, I. Macch. VI. Quorum dolor mere naturalis adeoque inutilis fuit, qualis etiam in Alexandro imp. qui cum beatam Martinam virginem nobilem post varia et dira supplicia jussisset decollari, visis ab ea multis miraculis, eadem die percussus est dolore cordis, et carnes suas comedebat gemens ac dicens: Miserere mei Deus Christianorum, quia nomen tuum persecutus sum: sicut feci, mihi reddidisti. Mart. Polonus ann. 236. Nonita David, quia dicendo: Peccavi, gratiam Dei recepit, quia præcise ad Deum offensum doluit. Unde S. Basilius in Psal. L. verba illa exponens ait: « Cum multis ac magnis donis tuis sim potitus, contraria tamen rependi. Non enim hoc dicit, quod in Uriam non deliquerit: deliquit quidem et in illum, et in uxorem ejus, verum maxima hæc prævaricatio adversus Deum præcipue fuerat commissa qui ipsum elegerat, et regem constituerat. » Non doluit ob infamiam, non ob moriturum filium, non ob uxorum prostitutionem, sed quia Deum offenderat.

V. Parant alii viam subdolam et rectam, quæ in cespite graminoso supra apparet jucunda et secura, subtus vero est paludosa, solito carens fundo. Hanc D eo parant, qui fictam agunt et præ se ferunt penitentiam: cum in corde nullo modo penit eant: qui vestimenta quidem scindunt, cor autem minime scindunt; quibus Jælcapite II. ait: *Scindite cor da vestra, et non vestimenta vestra.* De talibus ita scribit sanctus Bernardus de gradibus humilitatis, gr. IX. « Est qui nequiter humiliat se, (Eccles. XIX.) et interiora ejus plena sunt dolo. Vultus demittitur, proster nitur corpus, aliquas sibi lacrymulas extorque nt, si possunt, vocem suspiriis verba gemitibus int errump unt, nec solum qui ejusmodi est, objecta non ex cusat, sed ipse, quoque culpam exaggerat, ut dum impossibile aliquid aut incre dibile culpæ suæ ore ipsius additum audis, etiam illud quod ratum putabas discredere possis, etc. » Si miles hi sunt Gabonitis, qui saccos veteres asinis imponentes et induti veteribus vestimentis pacem a Josue emendicarunt: quasi procul dissiti, cum in propinquo habitarent, Jos. IX. Fingunt, qui sic penitent, se procul abesse a peccandi affectu, cum ei vicinissimi sint et addictissimi. Tali modo penituisse Achab, quando ad increpationem Eliæ scidit vestimenta sua et operuit cilicio carnem suam, (I. Reg. XXI.) sentiunt non pauci, et

indicat S. Greg. hom. XIX. super Ezech. In quibus Domini verbis, inquit, *pensandum est, quomodo ei in electis suis mæror amaritudine placeat, qui amittere Deum, si sic ei et reprobi penitentia placuit; quia timebat perdere præsens sæculum, etc.* indicans etiam imaginem et externam penitentia speciem gratis Dei oculis aspici, quomodo amicorum absentium intuemur effigiem cum voluptate, etiamsi immenso a nobis distent intervallo, ut ait ibi Sanctius. Verum ut ea penitentia imago Deum aliquantum lenierit, certe non nisi temporalem aliquam penam relaxationem Achabo impetravit, Deum non reconciliavit. Vana enim prorsus est illa penitentia, quæ vestimenta conscindit, pectus tundit, conspergit cinere caput, cibos adimit abundantes et dulces, adhibetque insuaves et parcos; si cor reliquit intactum et intregum, neque exiit antiquam intemperantiam, non deponit odia et studium vindictæ, non restituit, quæ per vim et fraudem ablata sunt, nihil denique mutat interius in animo; cum tamen mutet ea, quæ ad externam speciem et habitum pertinent. Hujusmodi penitens simulacrum fuit Achab ille, qui neque restituit vineam, quam inique possedit; neque honorem Nabotho, qui ipso conscio et non invito velut blasphemus lapidatus fuit, cum tamen pro suo munere tam crudele facinus impedire debuisset: neque e vinculis exemit innocentem Michæam, quem in carcerem detruserat; neque simulacra confregit, quæ ad uxoris vota in fines Israeliticos introduxerat. Similis fuit fucum et simulacrum penitentia in Henrico VIII. Angliæ rege perversissimo, qui in extremis humilitatem quidem in sumptione sacri viatici ostendit, et post eversa tot centena, imo millia monasteria et templa, templum unicum restitui jussit; quasi per hoc expiaturus tot aliorum templorum direptiones, totque innocentium cædes, ut videre est apud Sanderum de schismate Angl. et Florim. Remundum lib. VI. de ortu hæresis.

VI. Parant alii viam scandalosam ad præcipitiam ducentem, qui nimia et immoderata penitentia acti in desperationem se præcipitant, unde in omnia scelera se immergunt, nec ulla consilia admittunt, quasi jam de ipsis actum sit; cujusmodi erat Cain, qui a Deo reprehensus in desperationem incidit, dicens: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, Gen. IV. q. d. major, quam ut ulla penitentia possim veniam impetrare, seu ut S. Prosper. lib. III. de vita contempl. exponit: Indulgeri mihi non peto, quia peccatorum meorum magnitudine, indulgentia tua vincitur magnitudo.* Quem secutus Judas traditor, qui et ipse penitentia, sed immoderata et irrationabili ductus, præ veniæ desperatione et nimia animi tristitia abiens laqueo se suspen-

dit: Matth. XXVI. Quia desperatione gravius offenderunt Deum quam Cain parricidi o, Judas prodicione, teste S. Hieronymo in Psal. CVIII. *Pro clementia*, inquit, *Domini hoc dico, quia magis ex hoc Judas offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod Dominum prodidit.* Quæ est enim hæc hominis temeritas, ponere limites infinitæ Dei misericordiæ et clementiæ? Ad hæc *Non tam gravis est casus*, ait S. Chrysostomus, hom. VIII. in I. Corinth. *quam post casum jacere, neque tam grave vulnus accipere quam nolle acceptum curare.* Vermis conscientiæ Judam suffocavit priusquam suffocaret laqueus: quod si ipse vermem illum suffocasset per veram pœnitentiam et veniæ spem, a verme suffocatus non fuisset, ut loquitur S. Bernardus serm. de conversione ad Clericos, c. VI. «Optimum, inquit, et sentiri tunc vermem, cum possit etiam suffocari, itaque mordeat nunc ut moriatur et paulatim desinat mordere.» Leo Armenius imp. quia Michælem Balbum, comitem excubitorum, insidiatorem vitæ suæ, non occidit, sed ad preces uxoris vita donavit, postea ab eo occisus est: Zonara auctore. Idem contigit Judæ cum verme conscientiæ, quem certe mactare poterat, si cogitasset, Christum Dominum et magistrum suum pro salute generis humani, adeoque etiam ipsius vermem effectum, sicuti fatetur Psal. XXI. *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium homi-*

num et abjectio plebis. Certe vermi similis factus est in cruce tenerrimus ligni vermiculus. Itaque nemo dicat: Deus in cœlo sublimis regnat in cœlestibus, ego autem terræ vermiculus sum, qui offendi ipsum; quia ille quidem *Sublimis in regno, sed suavis in cruce*, ait S. Bernardus serm. LXI. in Cant. *Petra refugium herinaceis* (ait ibidem) *dicitur, Psal. LXIII. Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris, etc.* Quod si instet peccator multitudine peccatorum prægravatus et animo succumbat, quod Deo non sit solvendo, huic respondet S. Ambr. lib. de pœnitent. c. VIII. «Plura solvendi habet subsidia, qui Deo, quam is, qui homini debet: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit. Et si non habet quæ vendat, habet quibus solvat. Oratio, lacrymæ, jejunia, debitoris boni census est.» Sic ille.

Vidimus ergo quanto consilio et quanta discretione jusserit Joannes dirigi viam Domini, non quomodocumque scilicet, sed ita ut fiat recta, plana, lata, segura, nitida, etc. Magnus nimis est Deus; cui debetur via ex omni parte recta, quique ait, Proverb. VIII. *Viam pravam, et os bilingue detestor.* Auferte igitur a facie Dei vias, quas descripsimus, pravas et perversas, et rectas facite semitas Dei nostri.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

EVANGELIUM. Lucæ III.

Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abylinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha: factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaïæ prophetæ: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas, et videbit omnis caro salutare Dei.

CONCIONES.

- I. *Hominis dignitas.*
- II. *De morte justorum pretiosa.*
- III. *Extremi judicii sententia.*
- IV. *Quæ vitia maxime deponenda, ut viam Domino paremus.*
- V. *Qualis debeat esse contriti.*
- VI. *Pœnitentia baptismo similis.*
- VII. *Partes pœnitentiæ compendio exponuntur.*
- VIII. *Documenta.*
- IX. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTUARII.

- I. *Confessio non ita grave onus, ut quibusdam apparet.*
- II. *Propositum emendationis qui firmandum.*
- III. *Præposterus pudor in confessione ut vincendus.*
- IV. *Turpitudine peccati consideranda et per contritionem amovenda.*
- V. *Pœnitentia fortite agenda pro festo natalitio.*

CONCIO I.

DIGNITAS HOMINIS.

- I. *Homo microcosmus.* — II. *Imperator mundi.* — III. *Imago Dei.* — IV. *Frater Dei.* — V. *Conviva Dei.* — VI. *Deus quodammodo.* — VII. *Hæres cœli.*

THEMA.

Vox clamantis in deserto. Luc. III.

Vetus Romanorum consuetudo fuit, teste Pierio lib. XLI. hierogl. Baptista Fulgoso et aliis, ut ingenuis et nobilibus liberis parentes auream bullam appenderent ad pectus, quo imprimis monerent eos fortunæ et fragilitatis humanæ, similitudine, forma et nomine desumpto a bullis, quæ gutturam destillatione in aquis generantur et vel ab unica aquæ guttula rursus extinguntur: tum etiam ingenuitatis et nobilitatis suæ, eo quod aurea esset bulla et ingenuorum ac patriciorum insigne ne proinde dignitatis et generis sui obliti turpia et impudica agerent, vel etiam cum servis et mancipiis se miscerent. Quare bulla isthæc aurea duplex eis amuletum erat, partim contra

elationem, in quantum bullæ formam habebat, partim contra animi levitatem, in quantum aurea erat et insigne nobilitatis. Ad eundem modum Deus hominem vestivit. Ex una enim parte fecit eum bullam, id est, miserum, fragilem, sordidum, brevi tempore victurum, ut haberet quo se humiliaret. Ex altera vero parte fecit eum quodammodo aureum et nobilem, elegantem, potentem, sapientem, divitem, Deo similem, etc. ut haberet etiam quo dignitatis suæ memor digna laude gereret et turpia declinaret. Quod utrumque mihi videtur considerasse Joannes, dum iterato vocem se appellat. Vox enim qua præclarum aliquid significat, magnum quiddam est; qua vero sonus tantum, nihil fere est. Vox igitur est Joannes, sed vox clamantis Messîæ; bulla, bulla sed aurea. Similiter et homo vox est, ut ante octiduum audivimus, et bulla est. Sed interim etiam aurea bulla est et vox Dei, quia imaginem ejus gerens, etc. ut sic habeat partim quo humilietur, partim quo dignitatem suam tueatur; ut videbimus.

- I. *Hominis dignitas; quod sit compendium*